Vc
63

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-16141-p0001-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-16141-p0002-9

h. 41, 44

V c 63

Ad auſcultandam Orationem
de
Amore Subditorum erga Principes,
Divis Manibus
Sereniſſimi atqve Potentiſſimi Principis,
Domini, Domini
JOHANNIS GEORGII IV.
Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, nec
non Angriæ & Weſtphaliæ, Sacri Romani Imperii Archi-Mareſchalli atqve Electoris &c. &c.
Domini ac Principis noſtri qvondam clementiſſimi,
nunc beatiſſimi:
nec non
Piæ Memoriæ
JOHANN. BURCHARDI,
Prætoris qvondam graviſſimi,
conſecratam,
& ad d. 28. Jun. poſt horam antemerid. nonam habendam,
tam
Nobiliſſimos Dnn. Patronos & Inſpectores,
qvam
reliqvos Eruditos omnes
iſta de
JOHANNIS GEORGII I. poſteris,
Divi Electoris defuncti, & moderni regentis ex eodem
Agnatis, inſtituta Diſſertatione
officioſe invitat
M. JOHANNES BONITIUS, R.

Schneebergæ, Typis Pfitznerianis.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

88

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-16141-p0003-4

L. B. S. M. S.

DOlor, qvem Sereniſſimi atqve Potentiſſimi Principis, Domini JOHANNIS GEORGII IV. Sacri Romani Imperii Archi-Mareſchalli & Electoris,&c.&c. Domini noſtri, qvoad vixit, clementiſſimi, nunc beatiſſimi, obitus animis noſtris incuſſit, tantum abeſt, ut exſpiraverit, ut potius credam, eum in piis omnibus indies eo vehementius incrudeſcere, qvo apertius innoteſcit indignitas fati, qvo Princeps innocentiſſimus occubuit. Miſere periit, verum alieno, non ſuo ſcelere, eoqve tanto, ut audito eo, non dicam, exhorreſcamus, ſed pene toti obſtupeſcamus. Qvis ergo adeo omnis ſenſus atqve humanitatis eſſet expers? qvis adeo impius? qvi accedente jam propius die perſolvendis Juſtis, qvæ Divis Manibus debenter, dicata ſibi temperare poſſit à lacrymis, à planctu & à luctu, in qvem nos omnes pariter communis ea calamitas conjecit. Cyclopicum eſt monſtrum, & illi robur & æs triplex circa pectus, qvem caſus ejusmodi non percellunt. Qvem mortis, qvem periculi ultimi timebit gradum, qvi ſiccis oculis funeſtam mortem tanti tamqve innocentis Principis intuetur? Et nos vel imprimis id movet, & dolorem ſua gravitate vel ſine eo ſat vehementem atqve moleſtum auget, qvod in hoc B. Electore auſpicatiſſimum illud nomen derivatum à Proavo usqve in noſtrum Johannem Georgium jam defunctum nunc deſinere videmus. Sane vel ſola hujus rei meditatio eum in nobis luctum excitare poteſt, qvi non facile ſedabitur. Namqve in eo nomine omnis felicitatis noſtræ momentum, omnem ſpem poſueramus. Blandiebamur nobis perdulci illa atqve admodum jucunda perſvaſione, qvam imbiberamus, fore, ut id nomen continua, nec unqvam interrupta ſerie in Principes ſero venturæ poſteritatis propagaretur. Mortuo JOHANNE GEORGIO III. ſpes erat, fore ut è filio primogenito & ſucceſſore ejusdem nominis IV. & conjuge Sereniſſima ELEONORA ERDMUTHINA SOPHIA Iſenacenſi, Marchionis Onoldsbacenſis vidua, propediem natum filium JOHANNEM GEORGIUM V. videremus.

Sed

Sed ſpes tantum fuit, qvam eventus deſtituit. Sic fallax fortuna nos miſeros mortales fruſtratur deceptosqve ludit. Sic nulla gaudiis noſtris, qvæ nobis ipſi fingimus, ineſt certitudo. O miſeram noſtram atqve deplorandam ſortem!

Veruntamen eſt nobis, qvo illum dolorem animi leniamus. Qvanqvam enim aliqvoties hactenus domum Electoralem graviter afflictam fuiſſe novimus; nondum tamen plane exciſam, ſed in novo Electore fratre FRIDERICO AUGUSTO, Domino ac Principe noſtro clementisſimo, eam florere ac firmam ſtare videmus. Cohibendus ergo & reprimendus aliqvantum eſt iſte dolor, ne, nimium ei indulgendo, injurii ſimus in Serenisſimum Succeſſorem, & ſuſpicionem eam præbeamus, qvaſi de virtutibus ejus deſperemus. Deus ita fata ordinavit, ut JOHANNES GEORGIUS I. à fratre CHRISTIANO II. vita decedente dignitatem Electoralem acciperet, & nunc JOHANNES GEORGIUS IV. fratri eandem traderet. Itaqve tenebimus hoc temperamentum, ut eligamus id potius, in qvo non ſolum luctui noſtro atq; deſiderio B. Principis; verum etiam pietati in fratrem Serenisſimum ſatisfaciamus. Qvod dum animo verſamus, incidit, & ad viventis, & ad defunctorum omnium qvos commemoravimus, Principum gloriam nihil illuſtrius, & mitigando noſtro animo nihil aptius aut accommodatius nos afferre poſſe, qvam recenſionem agnatorum, non qvidem omnium, nec illorum, qvi priſcis vixere ſeculis; ſed maxime illuſtrium duntaxat, & eorum imprimis, qvi à JOHANNE GEORGIO I. deſcendunt, qvorum non tantum is eſt numerus, ſed etiam tantus ſplendor ac tanta majeſtas, ut palmam reliqvis fere omnibus, ſi non præripiat, tamen dubiam faciat. Faciet omnino id noſtrum inſtitutum, ut dixi, non minus ad laudem atq; gloriam noſtrorum Principum, cum ſecundum Nicephorum in Orat. Tiberii Imp. ad populum: PULCHERRIMUM DECEDENTIS PRINCIPIS EPITAPHIUM SUCCESSOR BONUS: qvam ad imminuendam noſtram triſtitiam, dum ſpem facit, fore, ut ulterius gentis noſtræ gloria, aliis illuſtribus perſonis qvam plurimis natis, creſcat.

Atqve

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-16141-p0005-5

Atqve ſi tandem, qvod res eſt, dicendum eſt, omnino in Domum Auſtriacam omnium Europæarum familiarum facile principem primo reſpiciendum eſſe cenſemus. Namqꝫ SOPHIA ELEONORA, JOHANNIS GEORGII I. filia, poſt filium in ipſo utero materno extinctum d. 23. Nov. 1609. edita, & GEORGII II. Darmſtadienſis d. 1. April. 1627. conjux facta, eam domui Electorali Saxonicæ cum ELISABETHA AMALIA gloriam peperit, ut nunc jure meritoqve gloriari qvis poſſit, huic deberi modernum Romanorum Regem JOSEPHUM, dum ea ipſa ELISABETHA AMALIA, JOHANNIS GEORGII I. neptis PHILIPPO WILHELMO Electori Palatino nuptiis juncta, familiam non ſolum numeroſiſſima ac pulcherrima, ſed etiam ea prole auxit, cujus conſortium maximi Europæ Reges, imo ipſe Imperator Rom. expetiit. Qvis enim eſt, qvi ignorat, niſi qvi omnia ignorat, Magni LEOPOLDI amorem & nuptias ob animi corporisqve dotes eximias promeruiſſe, ejusqꝫ thalamum ingreſſã eſſe ELEONORAM MAGDALENAM THERESIAM, JOHANNIS GEORGII I. proneptem, matrem vero JOSEPHI, qvi adeo JOHANNIS GEORGII I. abnepotem ſeſe eſſe non negabit. Idem neceſſitudinis gradus eſt inter alios Europæ Reges, ſi non omnes, certe tamen plurimos & ſummos; qvippe ex eodem feliciſſimo ELISABETHÆ AMALIÆ matrimonio natas filias ſibi conjuges elegerunt Rex Portugalliæ MARIAM SOPHIAM; Rex Hiſpaniæ MARIAM ANNAM; Poloniæ Princeps HEDWIGEN ELISABETHAM. Nec omittendæ ſunt ſorores reliqvæ, nimirum DOROTHEA SOPHIA & LOYSA CHARLOTTA, qvarum illam Dux Parmenſis; hanc vero Radzivilius ſibi matrimonio junxit. Longe vero major eſt neceſſitudo, qva Domus Saxonica Electoralis Reges Daniæ attingit. Non hic commemorabo AUGUSTI conjugem ANNAM fuiſſe Danicam, CHRISTIANI III. filiam; nec provocabo ad CHRISTIANUM II. qvi FRIDERICI II. Regis Daniæ filiam HEDWIGEN in matrimonio habuit: Sed eam tantum indicabo neceſſitudinem, qvæ â JOHANNIS

NIS GEORGII I. poſteris inita & propagata fuit. Non ſolum enim ipſe JOHANNES GEORGIUS I. filiam MAGDALENAM SIBYLLAM CHRISTIANO IV. elocavit; ſed & nepos JOHANNES GEORGIUS III. dictam neceſſitudinem renovavit ducta uxore genere Danica, ANNA SOPHIA, FRIDERICI III. è SOPHIA AMALIA Luneburgenſi filia. Ex hoc ipſo autem matrimonio orta eſt aliqva copula cum Regibus Angliæ & Sveciæ, dum hic CAROLUS XI. ſororem ANNÆ SOPHIÆ ULRICAM ELEONORAM in thorum regalem aſſumſit, d. 26. Julii 1693. defunctam; & GEORGIVS, ANNÆ SOPHIÆ frater, ANNAM JACOBI VII. Regis Angliæ filiam, modernæ Reginæ MARIÆ ſororem, ſibi matrimonio copulavit. Recurro nunc ad domum Haſſiacam lineæ Darmſtadienſis. Filiorum LVDOVICI II. SOPHIÆ ELEONORÆ filii, nomenclatio hæc eſt. Primogenitus eſt ERNESTVS LVDOVICVS, cujus uxor eſt DOROTHEA CAROLA Onoldsbacenſis. Seqvuntur eum LVDOVICVS & FRIDERICVS, ambo mortui; GEORGIVS, PHILIPPVS, HENRICVS, & alter FRIDERICVS, qvantum mihi conſtat, adhuc in vivis. Sorores ſunt MAGDALENA SIBYLLA, uxor Adminiſtratoris Wirtembergici; MARIA ELISABETHA, uxor HENRICI Gothani in Römhild/ & SOPHIA MARIA, uxor ERNESTI Gothani in Eiſenberg. Qvibus jungere poſſem CHARLOTTAM Haſſiacā lineæ Caſſelenſis, CHRISTIANI V. moderni Daniæ Regis, noſtræ ANNÆ SOPHIÆ fratris, conjugem, & CAROLAM FRIDERICI Caſſelenſis in Eſchwege/ & ELEONORÆ CATHARINÆ Palatinæ filiam, antea AVGVSTI Principis Hallenſis, nunc Comitis Tecklenburgici uxorem. Recenſenda nunc etiam ſoboles eſſet maſcula ELISABETHÆ AMALIÆ, neptis JOHANNIS GEORGII I. Sed id nimis foret prolixum, & ab inſtituto noſtro alienum. Minime tamen prætereundi ſunt JOHANNES VVILHELMVS JOSEPHVS, modernus Elector Palatinus, & LVDOVICVS ANTONIVS, Magiſter Ordinis Mariani Eqvitum Teutonicorum nuper defunctus. Qvo loco, dum cognationem cum Palatinis oſtendo, fas eſſe duco commemorare VVILHELMINAM ER-

NE-

NESTINAM, CAROLI Electoris Palatini è ſua ſtirpe ultimi viduam, FRIDERICI III. Regis Daniæ filiam, adeoqve noſtræ ſæpius memoratæ ANNÆ SOPHIÆ ſororem. A Palatinis tranſeo ad Marchiones Brandenburgicos. Inter hos & noſtros Principes & ante IOHANNEM GEORGIUM I. & poſt eum perpetua fere fuere connubia. Ipſe JOHANNES GEORGIUS I. defuncta priore conjuge SIBYLLA ELISABETHA, FRIDERICI VVirtembergici filia, nuptias ſecundas cum MAGDALENA SIBYLLA, ALBERTI FRIDERICI Marchionis Brandenburgici & Boruſſiæ Ducis filia contraxit. Filius Elector IOHANNES GEORGIUS II. non ſolum in thorum Electoralem adſcivit Brandenburgicam MAGDALENAM SIBYLLAM, CHRISTIANI Marchionis Brandenburgenſis lineæ Culmbacenſis filiam, ſed & ſuam ex ea ſuſceptam filiam ERDMUTHINAM SOPHIAM CHRISTIANO ERNESTO, ſoceri CHRISTIANI è filio ERDMANNO AUGUSTO nepoti in conjugem addixit. Secutus eſt avi beati IOHANNIS GEORGII I. veſtigia MAURITIUS VVILHELMUS Numburgicus, qvi ſibi MARIAM AMALIAM, FRIDERICI VVILHELMI Electoris Brandenburgici è DOROTHEA HOLSATA filiam, CAROLI Güſtrovienſis primum conjugem, poſt viduam factam, elegit ſociam. Idem fecit Sereniſſimus noſter Elector modernus, FRIDERICUS AUGUSTUS, ceu qvi exemplum avi ſui IOHANNIS GEORGII II. intuens, id ſibi imitandum propoſuit, nec aliam copulari voluit, qvam Brandenburgicam. Eſt ea illius ipſius CHRISTIANI ERNESTI, non qvidem ab ERDMUTHINA SOPHIA, (hæc enim 1670. improlis deceſſit) ſed ab altera conjuge, SOPHIA LUDOVICA VVirtembergica, edita filia CHRISTINA EBERHARDINA, cum qva, ob inſignem pietatem Theologa qvibusdam dicta, 1693. nuptias celebravit.

E VVirtembergicis Principibus fere ſolus eſt, qvi hic commemorari poſſet, Chriſtianus Ulricus in Oels & Bernſtadt / Chriſtiani Martisburgenſis per filiam Sibyllam Mariam gener. Cæterum non deſunt exempla in aliis familiis illuſtribus. Producemus nunc illa, qvæ occurrunt in gente Holſatica, ubi omnium primum ſeſe offert Johannis Georgii I. filia, Maria Eliſabetha, qvæ nupſit Friderico in Gottorp / cujus filius Chriſtianus Albertus Fridericam Amaliam, Friderici III. Regis Daniæ filiam, vitæ & thalami conſortem eſſe voluit, ut adeo hic Rex duobus nepotibus Johannis Georgii I. & alteri qvidem à filio Johanne Georgio II. genito; alteri vero à dicta filia Maria Eliſabetha edito uxores dederit. Sed præteriiſſem hic pene, qvi minime eſt prætereundus, Auguſtum Fridericum, alterum Friderici Gottorpenſis filium, Epiſcopum Eutinenſem. Namqve is

vel maxime recenſendus eſt, qvod ipſe Johannis Georgii I. nepos neptem ejusdem Chriſtinam, Auguſti Hallenſis filiam ſibi fœdere conjugali ſociavit. Porro exoſculati ſunt conjugia Holſatica Chriſtianus Merſeburgenſis, & Mauritius Numburgenſis; & ille qvidem Chriſtiani Philippi in Glücksburg/ hic vero primum Hedwigen Sophiam, Philippi in Glücksburg itidem filiam penatibus induxit. Ubi vero hæc poſt biennium ac duplicem prolem enixam maſculam, ſed βραχύβιον; nec non altera qvoq; conjux Dorothea Maria Vinarienſis diem obiit ſupremum; ad tertia vota tranſiit, ducta in matrimonium Sophia Eliſabetha, Philippi Ludovici è Sunderburgicis filia. Holſatiæ Ducibus proximi ſunto Megalopolitani. Ex horum familiis qvanqvam nemo ſit, qvi hactenus ſaltem voluiſſe videatur ambire conjugium Saxonicum; cupidi tamen fuere Megapolitanorum connubiorum Duces Saxonici, & inter eos primus Auguſtus Adminiſtrator Archi-Epiſcopatus Magdeburgenſis, qvi matrimonii lege ſuam fecit Annam Mariam Adolphi Friderici, Ducis Mecklenburgici Schvverinenſis filiam. Poſt illum Auguſtus filius Chriſtiani Martisburgenſis conjugali fide ſibi devinxit Magdalenam filiam Guſtavi Adolphi Güſtrovienſis.

Deniqve excurrendum eſt in ipſam Domum Saxonicam, & luſtranda cognationis intimioris cum linea Erneſtina propinqvitas, eaq; inde à Johannis Georgii I. poſteris reſtituta aut repetita. Hic chorum ducit beatisſimus noſter Elector, qvem jam univerſi lugemus, Johannes Georgius IV. Is connubio ſibi ſociavit Eleonoram Erdmuthinam Sophiam, filiam Johannis Georgii Iſenacenſis, Johannis Friderici Marchionis Onoldsbacenſis viduam. Poſt eum denuo nominanda Magdalena Sibylla Johan. Georgii I. filia. Hæc enim amiſſo conjuge priore Danico ad ſecunda vota tranſiit & matrimonium iniit cum Friderico Wilhelmo II. Altenburgenſi. Proximus ab ea locus tribuendus fratri Mauritio Numburgico, qvi uti antea etiam dictum, Dorotheam Mariam, Wilhelmi Vinarienſis filiam in matrimonio habuit. Excipit hunc Johannes Adolphus VVeiſſenfelſenſis, Auguſti filius, qvi Friderici Wilhelmi Altenburgici, & amitæ ſuæ Magdalenæ Sibyllæ filiam Johannam Magdalenam, Johannis Georgii I. nepos neptem ejusdem ſibi connubio junxit. Seqvuntur duo Chriſtiani Martisburgenſis filii Chriſtianus & Philippus, qvi 1687. in prælio ad Fleyry occubuit. Ille patrui, Mauritii Cizenſis filiæ Erdmuthis Dorotheæ; hic vero Eleonoræ Sophiæ, Johannis Erneſti Vinarienſis filiæ maritus fuit. His

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-16141-p0009-1

fratribus jungimus duas Sorores, alteram CHRISTIANAM, CHRISTIANI Eiſenbergenſis, & SOPHIAM HEDVVIGEN, IOHANNIS ERNESTI Salfeldenſis uxorem. Supereſt MAGDALENA SIBYLLA AVGVSTI Hallenſis filia, qvæ FRIDERICO Gothano in matrimonium collocata fuit.

Tandem illuſtre hoc agmen claudant SOPHIA AVGVSTI Hallenſis filia, CAROLI VVILHELMI Serveſtani uxor; & HENRICVS Barbienſis, ejusdem AVGVSTI filius, qvi ALBERTINAM ELISABETHAM Deſſavienſem ſibi thalamo junxit. Hæc itaqve ſunt, etſi non omnia, præcipua tamen & maxime illuſtria pignora, qvæ poſt ſe reliqvit JOHANNES GEORGIVS I. Hi ſunt ii ipſi poſteri, filii, nepotes, pronepotes & abnepotes, qvi ſi & ipſe adhuc, & ii univerſi viverent, à latere ipſius ſtarent, & tanqvam ornamenta ſumma canitiem ejusdem ornarent.

Atqve hæc ſunt etiam, qvibus pietatem noſtram teſtari impræſentiarum voluimus. Ut vero certius ejusdem extet teſtimonium, decrevimus, ut ſolennis Oratio in honorem Divi Principis elaborata, ab aliqvo noſtrorum diſcipulorum ad d. 28. Jun. recitetur. Aget ea ipſa de amore ſubditorum erga Principes, & habebitur à Juvene perqvam induſtrio IOHANNE CHRISTIANO THRÆNERO, VVeida-Variſco. Qvi dictus Orator ut rem omnem illuſtri apud nos exemplo IOHANNIS BVRCHARDI, Prætoris qvondam gravisſimi, confirmet, & indubium ſimul pietatis noſtræ in B. Viri memoriam, hoc ipſo tempore pie recolendam, exhibeat, laudabit eundem in fine ab amore erga Principem ſui temporis. Qvod ſi igitur præter Nobilisſimos Dominos Patronos & Inſpectores ſunt, qvi tantum temporis, qvantum ad auſcultandam eam Orationem reqviritur, Divis Manibus defuncti Principis & piæ memoriæ B. Burchardi tribuere volunt, eos hoc ipſo decenter invitamus. Scribebam die Ioh. Baptiſtæ A. O. R. 1694.

QK V 63

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-16141-p0010-3

CHRI-
ANNIS
NA SI-
ano in

TI Hal-
RICVS
SABE-
etſi non
reliqvit
es, pro-
nt, à la-
jusdem

præſen-
, decre-
ab ali-
ea ipſa
Juvene
NERO,
ud nos
visſimi,
m, hoc
ne ab a-
bilisſi-
nporis,
lanibus
r, eos

Pon Vc 63, QK f

ULB Halle 3
003 582 698

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-16141-p0011-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-16141-p0012-4

h.41,44

V c 63

…onem

A… …a Principes,

…mi Principis,

JOH… …ORGII IV.

Ducis Sa… ac Montium, nec
non A… …ani Imperii Archi-Ma-
…c.&c.

D… …am clementiſsimi,

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

JOH… …CHARDI,

…graviſsimi,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

… nonam habendam,

Nobi… …os & Inſpectores,

…omnes

JO… …GII I. poſteris,

D… …ni regentis ex eodem,
…ertatione

… …NITIUS, R.

…ſitznerianis.

88

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-16141-p0013-0